



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118340

§. 68. Pontificis studium Hungaros ad pacem & Hussitas ad Ecclesiam
revocandi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

Sæcul. XV. tis, rerumque suarum cura advolabat, A.C. 1493. ast cum Turcas inde recessisse intellexeret, ultionem infidelibus inferre distulit; Francipanes tamen in hoc prælio trucidatus incuriæ suæ pœnas dedit.

§. LXVIII.

Pontificis studium Hungaros ad pacem & Hussitas ad Ecclesiam revocandi.

*Bonfin. de-
cad. 5. l. 3.*

*Naucley ib.
p. 106.*

Cromer. l. 30.

*Raynald.
hoc an. n. 6.*

Cum Turcarum victoria Hungaris potissimum funesta esset, Wladislaus eorum Rex acceptam cladem reparare omnibus viribus adlaborabat; quare recentem conduxit militiam, eoque sollicitante Alexander Papa Christi fideles ad amplectenda Regis signa propositis amplissimis indulgentiarum præmiis excitavit, nilque intentatum reliquit, ut præprimis inter Hungariæ Proceres pacem, pristinamque concordiam revocaret: ne vero sacri belli consiliis obstarent civilia eorum diffidia, gravissimas Ecclesiæ pœnas cominatus est illis, qui sacram expeditionem novo bello præpedirent; hanc in rem Legatum destinabat Tranensem Episcopum, cui etiam negotium dedit, ut Pragenses, qui diutius Joannis Hussi erroribus irretiti fuerant, Romanæ Ecclesiæ reconciliare omni studio conaretur. Hac sibi demandata provincia Episcopus

scopus prospero plane successu defunctus Sæcul. XV.
A.C. 1493.
 est, qua de re Wladislaus Hungariæ Rex
 ad summum Pontificem epistolam perscrip-
 sit: Alexander vero ad eundem nec-
 non ad Albertum Poloniæ Regem, &
 Tranensem Antistitem Apostolicas dedit
 literas, quibus illos ad pia eorum consi-
 lia strenue prosequenda adhortatus est,
 vivisque coloribus pænarum & tormen-
 torum genera, quæ Christiani ab infide-
 libus perpeffi essent, descripsit, affirmans,
 quod *propter dissensiones inter Principes
 Christianos, graviora adhuc inde pericula
 provenire possent.* Demum testatur, quod
*non absque maxima animi sui lætitia novis-
 sime acceperit, Hussitas in regno Bohemiæ
 sanctæ Matris Ecclesiæ unitati reconciliatos
 fuisse.* Postea Tranensem Episcopum de-
 signat Apostolicæ Sedis nuncium, hor-
 taturque, quatenus *inter Principes fomen-
 ta discordiæ ad concordiæ bonum reducat,*
 ut eo facilius communis Christianæ Re-
 ligionis hostis suppressi valeat. Verum
 omnes hæ summi Pontificis hortationes
 Turcarum progressus sistere haud pote-
 rant, eoquod cuncti Principes ad sacram
 militiam tardi, ac nonnisi ad Galliarum
 Regis incurfus in Neapolis regnum in-
 tenti essent.